



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1613

De onere religiosæ disciplinæ ferendo. Cap. 18.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)

diturus. Munus iudicandi, munus Dei est, munus est maiorum, quibus ille facultatem gubernandi commisit: si tu nec Deus es, nec Prælo tuo præpositus es, quomodo audes illum iudicare, & falcem in alienam messem mittere? Te ipsum potius iudica & reprehende, quod saluberrimum est, & à iudiciis aliorum, præsertim maiorum, abstine, quod frangere periculosissimum est.

De affectu filij erga religionem.

CAPVT XVII.

AC erga Prælatos: at erga religionem seipsem quoque custodies. Religiosam familiam, ad quam à Domino vocatus es, ut piissimam matrem diligas. Id sanè virtus gratitudinis exigit, & profectus tuus, ac ipsius religionis conseruatio requirit. Deo te ad vitam religiosam vocanti, & in ea te custodienti, gratus existas necesse est, ne ut ingratus (quod abominabile & pessimum est vitium,) aut tanto dono spoliaris, aut illo sine spiritus emolumento fruaris. Gratus autem eris, si hoc extremum beneficium agnoscas, & in magno pretio habeas. Habebis autem, si religionem tuam esse matrem aspicias, quæ te in vtero tyrocinij concepit, in professione parturuit, lacte doctrinae nutritiuit, pane virtutum refecit, in statu honoris constituit, & æternam hereditatem præparauit. Sic etiam mirum in modum proficies, quia dilectio & affectus iste faciet, ut religiosam disciplinam non molestam, sed gratam, non grauem, sed suauem existimes, eique te diligenter accommodes. Sic tandem religio per te suum decorem & splendorem non perdet: nam & filij affectus à te postulat, ut puritati status tui consulas, & nihil regulæ contrarium admittas. Ne putas autem (ut quidam stultè cogitant) hunc filij affectum exigere, ut tuam religionem immoderatè laudes, ut eam insipienter aliis præferas, ut in publicis consensibus ad primas sedes aspireas. Hæc ridicula sunt, quæ stulti faciunt. Sed id exigit affectus filij, ut in omnino loco bonum exemplum præbeas, ut tui status circumspectionem necessariam custodias, & per humilitatem omnibus te submittas.

De custodia Regula.

CAPVT XVI.

VNC ergo affectum filij habebis, si sex alia, quæ subiungam, obseruaueris. Esto igitur custos regulæ & instituti tui, quoniam ista te custodient, & matrem tuam venerabilem, scilicet Sanctam religionem, indicibili exultatione afficient. Mater gaudet, si filios suos valere, & opibus abundare, & apud aliquem Principem in honorabilissimo loco haberi sciat. Regulæ autem custodia salus est animæ, diuitiæ custodientis, & familiaritatem parat apud Deum obseruantibus illam. Matrem ergo lætitia perfundis, cum regulam, ac maiorum scita custodis. Hæc obseruantia te perfectum faciet, te filium honorabilem religionis, & dilectum constituet, te fratribus amabilem, & Dæmonibus terribilem, & Angelis similem reddet. Quia sicut illorum gloria est Deo parere, ita & tu gloriam existimabis, Deo in his quæ per religiosum institutum statuit, obedire.

De bono nomine religionis quaerendo.

CAPVT XVII.

BONUM religionis nomen tibi quaerendum est, ut qui tot ab ea beneficia recipis, saltem in hoc eidem proficius existas. Ita autem hoc bonum nomen, bonamque opinionem in cordibus aliorum seres: si nihil, præsertim coram sæcularibus, indecens indecorumque facias, vel loquaris. Si cum illis agas quantum necessitas, aut prudens charitas postulauerit, & nihil amplius. Si eis quæ domi sunt, nequaquam detexeris, præcipue si minimum quid (ut fieri posset) discordia, aut minoris submissionis contigisset. Si eos intra claustra cœnobij, aut multo minus intra cellam non admiseris. Si te libenter semper vixisse, & adhuc viuere sub disciplina religiosa, pronunciaueris. Si erga Dominum, qui te vocauit, animum gratum ostenderis. Ac tandem si sæculares in te (quantum fieri possit) vitium spiritualem & religiosum videant, & nunquam hominem, id est, te affectibus seruientem, aspiciant. Hæc generaliter sunt, quæ apud alios bonum nomen religionis gignunt & seruant.

De onere religiosa disciplina ferendo.

CAPVT XVIII.

RELIGIOSA disciplina ferendis suauis & dulcis est super mel & fauè, sed tepidis solet esse amara & onerosa. Non quia ipsa per se aliquid molestiæ contineat, sed quod animus agrotus palatum cordis prauis affectibus infectum habeat. Tu si aliquando tentatione pulsatus molestiam in custodienda disciplina senseris, eam à te abicere ac remouere curato: sicque animam tuam ad disciplinam seruandam & onus ferendum, incitabis. Nemo in republica est, qui non molestiam aliquam patiat: pauper mendicitate premitur, diues spinis diuitiarum compungitur, ignobiles, ut ægilibus & tributis, nobiles bellorum periculis, & duris Principum obsequiis onerantur. Qui aliquid cupiunt, (& quis est in sæculo, qui vana non cupiat?) ex desideratorum absentia dolorem sentiunt. Nullum est munus in hac vita, quod molestiam annexam non habeat, & quo maius est, eo duriori labori subiicitur. Si ergo homines propter bona peritura tot molestias & afflictiones sustinent: satis delicatus eris tu, si propter regnum cœlorum paruam molestiam tuo statui adiunctam non feras. Equanimiter igitur eam sustineto, & pro ea fugienda nunquam disciplinam deseras: quia quanto magis laboraueris, tanto in cœlo maiori præmio perfrueris. Et disciplina ipso vsu dulcescit, & omnis molestiæ expertus efficitur: qui verò se non vincit, & propter modicam difficultatem, obseruantiam fugit, maiori quotidie molestia triftatur.

De religiosis functionibus ritè præstandis.

CAPVT XIX.

HA, quæ ad religiosam vitam pertinent, cuiusmodi sunt oratio, psalmodia, lectio, meditatio, Missæ celebratio aut auditio, Sacra-